

sedes introducti erant; & quiescente à bellis gente, florebat ubique Christiana religio, everfis inanium deorum fanis ac Idolis. Postremò quod divinâ prorsus ordinatione factum dixeris, Romanus Pontifex Leo III in Saxoniam delatus, & à Carolo M per Episcopatus circumductus; ut vice S. Petri, cui Carolus toties Saxoniam Romæ devoverat, possessionum Saxonix adiret; tanquam non prius Deus Carolum Imperatorem coronari voluerit, quàm ex integro belli merito Christiana religio per successorem S. Petri confirmata esset. Quapropter per hunc S. Petri successorem in Basilica ejusdem Natali Christi die, corona Imperij ad Francos translata, quorum natales & origines gens Francica in his Westfaliæ Saxonixque regionibus primum habuerat; lætoque ac præfago non minus auspicio eadem Imperij Corona à Francis deinde ad Saxones, utramque Germanam & bellicosam pro Christo gentem transijt; donec hanc nominis Majorumque suorum gloriam fœdâ hæresi corrumpere, immemor quo Romani Pontificis & successoris Petri beneficio Imperij majestas ad Germanos primum pervenerit.

Annus Christi 801. &c.

Leonis III Pont. 6. &c.

Caroli M. Imper. I. &c. Reg. 34. &c.

Hathumari Ep. Pad. 7. &c.

Finito bello Sax-
onico,
Christiana religio
florere incipit.

Ceterum Carolus, ex quo Imperator Româ in Germaniam redijt, & sedem Imperatoris Aquisgrani medios inter Germanos collocavit, & bella, quæ exinde gessit in his regionibus, trans Albim adversus Trans-albianos suscepit; dum anno DCCCIV. debellatis quoque ijs gentibus, Saxones Transalbianos identidem rebelles cum mulieribus & infantibus transferret in Franciam. Abotritis (populo Francico fœderatis mitioribusque ad Christi sacra accipienda) in vacuas Saxonum sedes repositis. Quo bello Eginardus ceteriq; scriptores trigessimum tertium belli Saxonici annum in Carolo absolvunt. Ita religio Christiana ad Danorum fines atque Ederam fluvium, quo Saxones à Danis dirempti, quàm latissimè propagata, antiquissimam quoque Saxoniam & primas Saxonum sedes imperio suo inclusit. Rariùs exinde Saxoniam ingressus est Carolus; nec causa urgebat, cum gens omnis pacata quiesceret, & exuta barbarie Christianæ legis mores imbueret; ultroq; se ad Baptismum & Christi sacra tam prona & fervida offerret post infusum religionis lumen, quàm obstinata prius ex superstitionis cœcitate fuerat. Hunc verò laborum suorum fructum cum ceteri per Saxoniam Episcopi & Sacerdotes experirentur, tum Hathumarus cum primis; cujus diœcesis populus,